



13557.

1743, 16.

4

DE
SVCCESIONE HAEREDITARIA
EX IVRE NATVRALI
DISSERIT

ET AD
MEMORIAM
VIRI NOBILISSIMI
DOMINI
IOANNIS GRAFII

MERCATORIS LIPSIENSIS
QVONDAM CELEBERRIMI
FVTVRO SATVRNI DIE
IX. NOVEMBRI HORA IX.

ORATIONE SOLENNI
IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM

CELEBRANDAM
HVMANISSIME INVITAT
D. AVGVSTVSFRIDERICVS
MÜLLERVS

ACAD. h. t. RECTOR ET ORDINIS PHILOSOPH.
DECANVS.

LIPSAE, LITERIS BREITKOPFIANIS.



13
SUCCESSIONE HERRITANIA
EX IVRE NATURALI

MAGISTRUM
VIRI AOBIDISSIMI
DOMINI
JOHANNIS GILII

MERCATORIS CIVITATIS
SUTTORUM
SUTTORUM CIVITATIS
IN REGNO BOHEMIE

OTAVIO SUTTORUM
IN REGNO BOHEMIE

DAVIDE SUTTORUM
MAGISTRO





Non solis iis terminantur officia nostra erga alios, quae dum viuimus vtilia eis esse possint. Sed siquid boni possimus efficere etiam si ex vita discefferimus profuturum superuiuentibus, non id ab officio nostro alienum existimare debemus. Nam si rationem ineamus eorum quae ad vitam beatam necessaria sunt et vtilia, ad finem tam arduum tanto rerum et cognoscendarum et ad vsus humanos perficiendarum apparatu opus est, vt, si cogitemus simul quam finis acui breuis, facile intelligamus, vnam hominum aetatem tam multa non capere, sed maximam bonorum partem, quibus nunc gaudemus et fruimur, eorum qui ante nos vixerunt beneficio nobis obtigisse, omnique tempore quae instituerint maiores, prosequi fere et magis subinde magisque perficere posteros. Ipsa sapientia, bonarum rerum omnium mater, qua nihil a Deo praestabilius hominum vitae datum est, ad eum quem nunc attingit, ne adhuc quidem summum, perfectionis gradum haud adscendisset, absque iis si esset quae a maioribus nostris accepimus. Idem existimandum esse de bonis et commodis vi-

tae ad corpus et statum rerum nostrarum externum pertinentibus, facile perspiciet, qui perpenderit, quantum de bonis et commodis vitae, quibus quoquo tempore fruuntur homines, acceptum ferendum sit maioribus. Iam quicquid promouet societatis humanae commoda quae quilibet participat, ad id quicquid potest officii conferre debet quilibet. Ergo cum quilibet eo quo viuit tempore participet commoda a maioribus parta: siqua re et ipse vicissim bene mereri possit de posteris, in partibus id officii sui ponere omnino debet. Finge ab omni vetustate defuisse homines officio huic, et cuiusuis aetatis homines vtilitatibus atque opportunitatibus omnibus, quas suo quique tempore a parentibus et maioribus acceperunt destitutos, a capite arcessere ac ordiri debuisse omnem rerum quae ad victum et felicitatem humanam pertinent apparatus: facile intelliges, sic semper velut in limine tantum vitae beatæ genus humanum substitutum, neque vltra initia eius tenuissima, manca admodum et imperfecta, progressurum fuisse.

Ex hoc officio cum alia multa, tum maxime iura et officia successionis haereditariae naturalia, et ius domini de bonis suis mortis causa disponendi demonstrari posse existimamus: qua de re quantum ambigatur inter viros Iuris naturalis peritos, nemo nescit. Primum scilicet positum sit quod hactenus approbauimus officium, quo optimus quisque maxime ad seruiendum posteritati etiam obstrictum se esse intelligit. Deinde id dari nobis postulamus, introducto rerum dominio posse aliquem acquirere non sibi solum, sed et alii consentienti, idque vel absolute, vel quacunque conditione honesta. Lege enim socialitatis homini praestare potest et debet officia omnis generis: quidni ergo et inseruire alter posset alteri acquirendo ei aliquid? Plane sunt, quibus iure perfecto obstringimur ad
ali-

4

aliquid iis acquirendum, ii scilicet quibus lege naturali obligamur ad alimenta, vt liberi quos genuerimus. Alii siquid acquiramus, quibus ad id perfecte haud obligamur, officium humanitatis est. Huic consequens est, quod is, cui alter quid acquisuerit, si acceperit acquisitum, perinde ea in re nanciscatur ius perfectum, ac si ipse acquisuisset. Acquirens enim, actione qua acquirit, sibi comparare poterat ius proprietatis perfectum. Quapropter cum cedere ius suum possit alteri, et quocunque quidem quo voluerit tempore: efficere potest, vt quod factio suo sibi acquirere poterat ius proprietatis perfectum, statim ab initio alterius accipientis sit. Est et tertium, quod sumimus: introducto dominio rerum, quicquid quis acquisuerit et asseruarit sibi ipse, ipsius proprium esse dum viuat, eo autem mortuo exspirare omne ius eius; quod quilibet credo facile dabit. Ergo quicquid bonorum post mortem cuiusque superest, id non potest non parasse aliis. Imo cum mors certa immineat omnibus, et propter incertos casus quotidie: cogitandum est, quicquid paremus et asseruimus, forte non nobis nos parare et asseruare, sed aliis. Etiam si vero satis probabiliter norimus, ea quae commode acquirere possumus, non tam nobis vsui fore quam posteris, non ideo segniores nos esse oportet in parandis iis beneque administrandis, si consideremus quod primo loco posuimus officium erga posteros.

Si quicquid bonorum relinquimus mortui, asseruauimus et asseruare debuimus aliis qui superuixerint: bona illa relicta vel alii cuiquam cedere debebunt in proprietatem, quod si fiat, alter hic succedere illi dicitur in bonis ab ipso relictis; vel recidere bona a defuncto relicta debebunt in statum rerum nullius, et sic communia esse omnibus. Non autem admittendum est posterius, donec rationes sunt quae prius confirmant; maxime cum haud con-

veniat in statum introducti domini, bona a defunctis relicta recidere in statum rerum nullius. Videndum igitur, an non naturali ratione iure proprietatis acquisita alicui a defuncto esse intelligantur bona ab eo relicta, et cui? Vbi primo quidem cogitandum est, quod supra sumimus, existere posse aliquos, quibus defunctus perfecte obligatus fuerit ad aliquid bonorum iis prospiciendum; caeterum quemlibet operarum suarum quibus aliquid acquirit, et solertiae qua acquisita asseruat et administrat, summo iure liberrimum esse arbitrum. Hinc cum norit, se, quicquid opum quas vivo sibi acquisierit, se mortuo superauerit, acquirere et asseruare superuiuentibus: si nemo sit, cui eo nomine perfecte obligatus sit, (qua de re alibi dicendi locus erit,) officii humanitatis non potest non esse locus, ad quorum adeo normam, iure libertatis naturalis, ipse est, definire, cui destinata velit suam in acquirendo et asseruando diligentiam. Cuicumque autem destinata velit, quae acquirit, destinare ea illi se mortuo potest reseruato sibi vivo iure quocunque. Acquirere enim ei quicquid voluerit potest quacunque conditione honesta. Et cum nemo obstrictus sit ad posthabendam curam sui ipsius officii alteri praestandis: conditio honestissima est, qua, quae acquirimus, destinamus alii cuiquam, si mortui fuerimus, reseruato nobismet ipsis, quoad viuamus, iure quocunque in bonis acquisitis. Quo facto, qua conditione is, qui acquirere aliquid vult alteri, officium hoc ei offert, eadem accipere alter debet, neque alia lege quidquam huic inde acquiritur. Ergo si quis bona quae acquisierit, etiam dum adhuc in viuis est acquisita velit alteri cuiquam, reseruato sibi, quoad viuat, iure saltem possidendi et vtendi fruendi: accipienti alteri acquisitum inter viuos erit horum bonorum dominium, seruitute saltem, quam vocant, personali affectum. Et qui ita de re sua constitutum habet cum altero,

vuius

4

uius eam alienauit. Quamobrem stare oportet conuento, neque mutare voluntatem licet. Sed et potest aliquis, quoad uiuat, ius omne rerum suarum reseruatum uelle sibi et ipsi, et hinc nihil eius, se uiuo, translatum in alterum; se uero mortuo demum, quicquid bonorum tunc superfuerit, acquisitum a se et asseruatum uelle alteri cuiquam. Ipse enim facti sui, quo acquirit et asseruat, liberrimus est arbiter, et ipsius adeo est, quocumque uoluerit tempore definire, non solum cui, quantumque, sed et quo tempore, quae lege acquisitum uelit quicquid bonorum acquisuerit et asseruauerit. Et alter accipere quod ita ipsi offertur non alia lege potest quam qua ipsi offertur. Iam qui reseruato sibi ipsi omni rerum suarum iure, se demum post mortem suam eas acquisitas uelle alteri declarat, is tam hunc ipsum actum quo offert, quam ius accipiendi alteri inde nasciturum, suspendit atque restringit ad momentum mortis suae. Ergo dum uiuit qui hac lege obtulit, nihil rerum suarum alienauit, neque ullo iure earum se abdicauit. Iis igitur uti fruique pro arbitrio, et de iis consumere aut alienare quicquid uisum fuerit, quin et mutare voluntatem, summo iure potest. Si, qui ita post mortem demum suam bona sua destinata uult alteri cuiquam, tam ipsum actum quo ea illi offert, quam ius accipiendi ei inde nasciturum differt et suspendit ad momentum mortis suae: acceptioni nullus est locus, donec uita et spiritum ducit is, qui hac lege obtulit; et alterum adeo, cui quid ita destinatum est, ne quidem eius rei oportet esse conscium, antequam decesserit, qui hac lege destinauerit. Ius succedendi defuncto in bonis ab ipso relictis, a momento demum mortis oblatum successuro, dicitur haereditas, siue ius successionis haereditariae. Atque adeo sic manifestum esse existimamus, non solis legibus ciuilibus nisi ius successionis haereditariae, licet perinde ut aliis iuris naturalis regulis fere omnibus quam plurima Ius Ciuile ad-


addiderit; sed et maxime naturales huius iuris rationes se offerre meditati ea quae in medium attulimus. Non deerit occasio, haec alio tempore ulterius persequendi. Plura enim non fert haec pagina. Id vnum monere adhuc iubet praesentis instituti nostri ratio, quemadmodum qui haereditates amplas relinquunt, et ex legibus pietatis et honestatis disponunt, insigni beneficio demerentur superuiuentes; ita sanctam eorum memoriam esse debere superuiuentibus, iis maxime, quibus proxime bono fuit illorum beneficentia; feris etiam posteris, si probi eiusmodi viri ea fuerint animi magnitudine, vt praeter commoda suorum priuata vtilitati quoque publicae monumentis ad feram posteritatem transmittendis liberaliter prospexerint. Eiusmodi monumentis amplissimis memoriam nominis sui consecrauit Vir Nobilissimus, IOANNES GRAFIVS, Mercator quondam huius vrbs celeberrimus, quando lauta duo stipendia legauit, alterum Theologiae, alterum Iurisprudentiae cultori conferendum, quorum priore Vir Clarissimus, M. IOANNES GOTTLIEB BOSSECK, *Lipsiensis, S. theol. Baccalaureus*, hoc tempore fruitur. Is ergo memoriam GRAFIANI nominis grata mente celebrabit Oratione solenni, qua *studium Ebraeae linguae* docte et diserte laudabit. Ad quam beneuole audiendam *Illustrissimos Comites, vtriusque Reipublicae Proceres Grauissimos, Generosissimos item ac Nobilissimos Academiae Ciues*, ea qua par est humanitate inuitamus. P. P. Lipsiae Domin. XXI. p. Trinit.
Anno MDCCXLIII.



ad
sua
ns,

uf-
nae
olis
xit
A-
iue
res
us-
Sic
rti-
unc
ffe
m,

ad
sua
ns,
uf-
nae
olis
xit
A-
iue
res
us-
Sic
rti-
unc
ffe
m,
ad
sua
ns,
uf-
nae
olis
xit
A-
iue
res
us-
Sic
rti-
unc
ffe
m,






ULB Halle
007 467 842

3







Farbkarte #13

B.I.G.

1743 16.

DE
ONE HAEREDITARIA
VRE NATVRALI
DISSERIT

ET AD
EMORIAM
NOBILISSIMI
DOMINI
NIS GRAFII
ORIS LIPSIENSIS
ONDAM CELEBERRIMI
RO SATVRNI DIE
X. NOVEMBRI HORA IX.

ONE SOLENNI
ORIO PHILOSOPHORVM
CELEBRANDAM
ANISSIME INVITAT
STVS FRIDERICVS
MÜLLERVS
CTOR ET ORDINIS PHILOSOPH.
DECANVS.

E, LITERIS BREITKOPFIANIS.

